

24. Quartò: Spiritum Sanctum verum & Omnipotentem DEVM declarant opera, non nisi divina naturæ propria, ut Creatio & Conservatio rerum omnium Gen. 1, 2. Job. 33, 4. Psal. 33, 6. 104, 30. Ies. 40, 12. & seqq. Vivificatio & Regeneratio Iohan. 3, 5. Job. 33, 4. Miracula, quæ Christus ipse se Spiritu DEI (quem apud Lucam DIGITVM DEI nominat c. 11, 20.) edidisse testatur, Matth. 12, 28. & infinita alia.

25. Quò referrì etiam debet Sanctificatio & Inhabitatio in credentibus, respectu cuius D. Apostolus pios & fideles templa DEI nominat 1. Cor. 3, 16.

26. Cujus loci autoritate D. Augustinus in disputationibus contra Arianos usus fuisse legitur l. 2. contra Serm. Ar. cap. 20. Si, inquit, aliquibus terræ molibus Spiritui Sancto templa fabricaremus, quis dubitaret, nos ei λατρεία DEO debita servire? Quomodo ergò non ipse DEV S noster est?

27. Tandem cultus adorationis in solum DEVM alioqui conferendus Matth. 4, 10. ad Spiritum Sanctum quoque dirigitur à beatis Angelis: non Patri solum & Filio, sed Paulo teste Act. 28, 25. Spiritui etiam Sancto acclamantibus: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus DEV S Zebaoth. Quare vel indè. Sacrosancta
 H 3 ipsius